

Synopsis seu recapitulatio, continens constitutiones in his duobus libris traditas.

C A P. X.



DOST QVAM hucusque ea descripsimus, quę ad officium fidelis & prudentis magistratus tempore pestilentiaę reipub. à contagio præseruandi liberandique, pertinere putauimus, & pleraque paulò verbosius tractauimus, è re futurum videtur, vt constitutiones, quęcunque magis salutare ac præcipuę sunt, summam *κατὰ σύνολον* repetamus; si cui fortè vel non vacet, vel non placeat integram tractationem legere: Ita enim & facilius meminisse poterit, & minus capiet tædij.

1. Cum igitur persuasi fuerimus, ad munus gubernatorum reipub. pertinere, vt non solum necessarijs rebus ciuitatem instruant, sed etiam quę noxia & damnoſa sunt, auertant (inter quę noxia vel maximè morbi epidemici, qui contagio homines lædūt, qualis præcipuè est pestis, comprehenduntur) id cauebunt Magistratus, ne ſegnitię aut negligentiaę vllum hęc locū dent, sed omni potius conatu, studio, fide & prudentia præſtent, quod in rem & ad salutem totius ſocietatis omniumq; ſubditorum pertinere intelligunt.

2. In primis autem vt publicam poenitentiam edicant subditis, vnâque cum populo vitæ emendatione proposita, Deo opt. max. se pariter fistant, ab illóq; tum culpâ antè actæ vitæ seriò deprecentur, tum auxilium in præsentī infortunio ardentè implorent.

3. Deinde ita conscientia Deo approbata, fide, spe charitatēque bene confirmati humanam omnem operam impendant, vt nihil quod ratio suadet, & vsus postulat, prætermittant. Et quia ordo in omnibus rebus necessarius est, seu quid vtile præstare, seu damnosum impedire voluerimus: *ἀταξία* verò & confusio Deo ipsi inuisa sit, magna fuerit barbaries, in cæteris quidem rebus elegantes canones habere, in morborum autem tanquam belluarum immaniū irruptione nihil prudentiæ adhiberi, nihil rationi conuenientiū legum instituere. Quare sicut Physiologi singulis cæli orbibus suū motorē & quasi rectorē adiungunt, & sicut Resp. singulis officijs peculiarē præfectum præponunt: ita quoque in cura publicæ sanitatis certus aliquis Magistratus constituendus est, qui re & nomine conseruatores sint, suâque autoritate omnia huius instituti negotia procurent, idq; hoc ordine, qui sequitur.

4. Primū enim prouidebunt Reipub. de idoneis medicis, chirurgis, pharmacopœis: qui vita inculpata & rerum peritia sufficienter instructi, huic vni egritudini pestiferę incumbant, ab alijs verò ægris & morbis (excepto Pharma-
copœo

copæo) prorsus abstineant. Vt autem hi mediocri præmio honestè & humaniter fouendi: ita alij circunforanei peregrini tanquam harpyæ, quæ escam duntaxat inhiant, profligandi. Cùm enim sint perfidi humanæ vitæ proditores, indocti & nefariè audaces, facile à Sathana ad quoduis facinus hoc rerum statu impelluntur, vt vbi contagium tollere deberent, hîc serere & augere in animum inducant scelerati.

5. Postquam verò reipub. de medicis corporis prospectum erit (Nam hanc curam in nostra actione, qua valetudini consulitur, post vniuersalem conscientia repurgationem primam esse iudico) similiter quoque de medicis animarum, omni modo probatis viris disquirent: Si qui volent, quod non dissuadeo, sed opto & hortor, eorum opera vti, vel institutione & consolatione, quæ verbis & sermone fit: vel si ita tempus ferat, sacrorum signorum exhibitione ac participatione. Abstinebunt verò & hi ab aliorum consuetudine, qui hoc pestifero morbo non affliguntur.

6. Inter ciues talem rationem obseruari iubebunt, vt vitentur omnes publici conuentus, velut nuptiæ, spectacula, choreæ, balnea, nundinæ celebres, pomposæ sepulturæ. Ecclesiastici verò cœtus fieri possunt, si in diuersa loca distribuuntur, ne confertim coeant, & arctius confideant. Scholæ frequentiores transferende in locum & aerem opportuniorem: minùs fre-

*Hic. Card.
13. derer.
Variet.
cap. 8.*

quentes & pueriles tantisper claudendæ sunt, dum defierit sãuire morbus.

7. In rebus, quæ ad cibum potumq; spectant, vendendis & emendis, ea sequenda prouidentia, vt quæcunque noxia sunt, & periculum contagij afferre possunt, in vrbe neque diuendere neque importare fas sit. (Quæ autem eiusmodi sint, singulatim in ipsa tractatione, prout res tulit, tradidimus.) Salubria verò & necessaria procuranda, & suo quæque loco & præscripto precio distrahenda. Plura autem fora, & tolerabile precium singulis rebus designabuntur, pro rerũ regionumq; natura, & euentium facultatibus. De quibus tamen haud faciliẽ certis legibus potest caueri, aut satis accuratẽ præscribi, sed sola charitas huius æquitatis modum & regulam statuat necesse est.

Theod. Tabern. de pest. cap. 8.

8. Vaccæ, porci, anseres, & reliqua spurca animalia, quæ multum foetoris & immunditiei gignunt, non sunt in vrbe toleranda, sed in remoto ab vrbe loco instituenda illis stabula, præsertim ad torrentem aliquem, si fieri queat, qui sordes omnes auferat, vel vnde exhalationes impuræ in vrbem non respirent. Quia fimi & excrementa eorum valde inquinant aërem, & contagio suppeditant pabulum.

9. Plateæ quoque omnibus inquinamentis mundandæ, neque in his quicquam vel odoratu graue, vel visu abominabile abiiciendum: sed eiusmodi quicquid est, extra oppidum deportandum,

dum, ne ex plateis publicæ quasi foricæ fiant, imò quasi tota ciuitas fœda quædam cloaca videatur, quod turpissimè in magnis quibusdam vrbibus fertur. Quare pro oppido in locis conuenientibus latrinæ Reip. sumtu instaurandæ, & quidem vel propè fluentum, si adest, vt eiusmodi saburræ aquæ impetu auellantur: vel in loco aprico, vt vento exiscentur. Neq; hîc nos Sarmatarû consuetudo mouebit, qui tempore pestilentia canes mortuos per vrbem spargere solent, vt virus virulentia extinguerent. Barbarum enim hoc est, & fortassis illi solùm loco commodum. Verùm nos potiùs rebus odoriferis aerem nostrum corrigemus: potissimùm autem magnis & luculentis passim instructis focus & ignibus. Aeris enim puritas præcipuum remediũ in Epidemia est, testibus Hippocrate & Galeno, omnibûsque sapientibus antiquis. Ignis autem *Plin. hist. nat. 36. cap. 5lt.* illustrat, exsiccat, purificatque omnia, & est aeri tanquam sol, anima & vita: Adeò vt quod compositis corporibus præstat nobilis illa antidotus Theriaca, hoc aeri præstat ignis, simplicium omnium corporum, vt situ, sic virtute supremum elementum: quod pace Cardani mihi dicere liceat, qui ignem elementum esse negat. Scitè autem dictum est, quantò melior aer, tantò melior *Leu. Lem. 3. de ocul. nat. mira.* animus. Nam homines plerunque pro qualitate aeris affecti sunt.

10. Ferendi quoque non sunt, vel certè continendi canes, feles, capræ, aliæque cicura a-

nimalia, quæ circumcurrere & ubique per plateas vagari solent. Nam eiusmodi pestiferam auram, licet ipsa sæpe illæsa maneât, circumferre & ad alios deferre possunt: quod ratione naturali simul & fide dignis historijs constat. Quamobrem, quæ contineri non facile queunt, vt feles, occidi præstat, quam tolerari, & harum loco decipulis vti.

11. Nulli alienigenæ, neque ciues, qui ex infectis locis veniunt, sine testimonio sanitatis, in urbem sunt recipiendi. Huiusmodi autem testimonia chartulis sigillo notatis vel scriptis, à conseruatoribus postulanda: Quod sicubi hæc politiæ nostræ ratio nondum obtineat, saltem à Magistratu cuiusque loci, vel à Parocho petenda. Qui verò non habuerint, spacio aliquot dierum conuenienti, extra urbem se continebunt. Maioris enim debet fieri salus publica, quam priuata utilitas. Quod verò de hominibus dixi, idè quoque de rebus, quas secum ferunt, vt mercibus, sarcinis, suppellectile, &c. intelligi debet. Maxima enim sæpe in his pericula latent. Nam aura illa pestifera longo tempore in illis potest hærere: vt de laneis vestimentis abundè cõstat. Lana enim hoc virus mirificè nutrire & augere consuevit. Et notum est de multis maleficis, qui hac ratione præsens malum longè latèque sparserunt.

12. In quorum ædes inciderit pestis, illi conseruatorum mandato mox domi continere se debent,

debent, neque licentiam habebunt exeundi, nisi singulari aliqua nota, quæ placebit conseruato-
ribus, insigniti prodeant: Qua tamen nondum
ita erunt liberi, vt se hominum turbis immisce-
ant, vel alienas ædes ingrediantur. Domus quoq;
ipsæ signis quibusdam notabuntur, nempe su-
spenso præ foribus velo, nigro, rubro, albo: vel
erectis fustibus, aut stramineis fascibus, aut faci-
bus inaccensis: quæ omnia sunt morbi mortis-
ve signacula. Si quis etiam sua sponte huiusmo-
di ædes fuerit ingressus, similiter non nisi signa-
tus ad dies quatuordecim prodibit. Aegri verò
& domestici, illi curatiuis, hi præseruatiuis me-
dicamentis sibi debent consulere, vel priuato
sumtu, qui ferre possunt: vel publico, qui inopes
sunt. Medicina enim Dei donum est, & medici
Dei ministri, quorum opera Deus sanitatē ple-
rūnque efficit: tamen si, cum vult, absq; his idem
potest, qui omnia potest. Sed tentare illum non
licet, neq; miracula poscere debemus, dum quod
requirimus, sine miraculis consequi possumus.

Huc quoq; pertinet, vt parientium mulierum
ratio habeatur, quæ nequaquam propter con-
tagij metum deferendæ sunt, sed si fuerint suspe-
ctæ, iuuandæ sunt fideliter, præcipuè ab obstetri-
cibus alijsq; fœminis, quæ ad hoc constitutæ &
publ. salario conductæ erunt.

13. Duo ædifica, Læmodochia vocata, sat am-
pla, materia solida, aere septentrionali, forma a-
pta, in semota vrbis parte, vel potius extra vrbē

adque aquas fluentes instruenda sunt: Alterum in sanorum quidem, sed tamen suspectorum vsum, alterum ægrorum: Non contigua, neque se mutuò in admittendo boreali vento impediencia: Cubiculis paululum elatis, minimèque vmbrosis: fenestris ad orientem patentibus. Còclusus autem aer admodū noxius est: cuius sunt horrenda visa exempla. Hæc autem potissimū in principio morbi, cum rarior est infectorum numerus. Nam in maxima ægrorum frequentia & vniuersali vrbis affectione, vix hæc satis erūt, quantumuis omnia studiosè obseruentur.

14. Magistratus, quando de necessarijs reipub. personis & rebus prospectum est, potest quibusdam, vt mulieribus, pueris, mollibus, senibus aliisque inutilibus, qui nihil iuuare, & plurimum obesse possunt, ceu sit in còmunibus incendijs, vel vrbium obsidionibus, libertatem secedendi dare: Et qui tunc secesserit, neq; ignominia, neq; desertæ fraternæ charitatis damnandus est. Alioqui fugere nemini est liberum, præsertim si non fame, altera peste, alium locum querere cogatur.

Quod si autem certis signis constet, citra negligentiam hominum & causas naturales immediatè à Deo pœnam hanc immissam esse, tantū abest vt sit fugiendum, vt potiùs castigationem paternam patienter ferre, & mitigationem humiliter precari debeamus. Non autem omnis pestis Diuina propriè dici potest, sed quandoque natura, quandoq; negligentia & temeritate nostra

stra oritur. Hic quin omnia salutaria consilia & remedia expetere & sequi debeamus, dubium non est.

15. Si moriantur aliqui (quod eo tempore assiduum est) illi neque nimis tardè, neque nimium festinanter efferri debent & sepeliri. Vtrobique enim periculum est, & incommodum. Quare moderatio adhibenda. Fiet autem per illos, qui ad hoc singulariter sunt constituendi, ut libitinarios, bustifabros, expiatores: quos decet sedatè & modestè hanc prouinciam obire, imitantes sanctos quondam homines, &, quod magis est, Dei angelos, qui ipsi quoque aliquando hoc officium administrarunt. Fiet item absque frequentia hominum: Et si quæ solennitas adhibenda, ea quàm minimo concursu & sumtu peragenda est, ne in morte videatur quæri ambitio, & vetus salua funebris pompæ resorbeatur.

16. Cœmeterium autem, in quo sepeliendi sunt, extra vrbis pomeria instaurandum est, conuenienter amplum, loco non humili neque vdo, versus septentrionem, figura circulari, muro cinctum lapideo, cratibus in vestibulo, & valuis sponte, cum aperta fuerint, concidentibus, ut bruta arceri possint.

17. Postquam autem cadauer elatum est, domus illa funesta; ac res omnes, quæ in ea

sunt, cum singulari diligentia expianda, apertisque fenestris, illustranda, igne suffienda, parietesque calce dealbandi. Res viliores exurendæ, aliæ lixiuo eluendæ. Tandem omnia odoriferis herbis, floribus & fructibus conspergenda. Atque hæc per eos, quos diximus, pollinctores, expiatores, elatores, vel ipsos, si adsunt, domesticos perficiunda.

18. Quicumque autem superstites sunt, certis legibus coercebuntur illi quidem, similibus ferè, ut dictum de his, qui cum egro sunt, domesticis. Qui ergo inter eos sani fuerint, si exire domo voluerint, virgulam, ut & illi, albam manibus gestabunt. Qui autem infecti fuere, & utcumque non plenè tamè restituti sunt, non temerè egredi licebit, quandiu non satis fuerint expiati: ad quod bimestre spacium minimè requiritur. Qui verò actu iam hoc morbo laborant, nequaquam fas erit in hominum coetu inueniri, sicut in veteri testamento leprosis non licuit inter mundos versari.

19. Has constitutiones unusquisque pro modulo & officio suo diligenter conabitur observare, tanquam & sibi priuatim, & toti societati maximè utiles & necessarias: Qui religione ducetur, ut existimet se Dei voluntati resistere, siquidè punitione eius nitatur humana industria auertere, is finet se rectius institui, ne ipse conscientia suæ laqueum iniiciat. Qui verò socordia & morositate publicam salutem contemserit, hic sciet se chari-

charitatem grauitè lædere, & quasi in proprium corpus peccare.

20. Postremò qui cessator & infidelis in officio suo fuerit deprehensus, pro delicti ratione pœnam ferre debet: quam pœnam conseruatores moderabuntur vel multa pecuniaria, vel nota aliqua ignominia, vel dignitatis officiiue suspensione aut priuatione, vel carcere, vel extremo mortis supplicio.

Atq; hæc hætenus de officio fidelis & prudentis Magistratus tempore pestilentia adhibendo dicta sunt. Quæ si cui fortè noua videbuntur, etsi plerisq; in locis omnino inusitata non sint, is sciat nouum nos institutū moliri: nouum, inquam, fortassis alicubi, aut saltem aliqua ex parte nouum, sed neutiquam tamen inutile, aut nõ necessariū. Ob id autè salutaria consilia nõ sunt aspernanda, quòd noua sint: Omnia enim quæ nunc vetera sunt, & cum ratione longo tēpore constituta, olim noua fuere. Nec sequitur: hoc nouum est, ergo repudiandum. An enim manus Dei abbreviata est, vt nostris temporib. nihil reuelare possit, quod prioribus fuit ignotū? An nõ assiduè noua prodeunt pharmaca, quorum vsus maioribus nostris incognitus, nobis cum sūma vtilitate & fructu innotuit? Quamobrem, qui ita iudicant, quod cuiquam inusitatum est, id recipiendū approbandūq; nullo modo esse: nimium arctis vinculis Magistratū alligant, vt de grauissimis nec antè auditis sibi causis omnē delibērandi

randi potestatem ei præscindant: longè à principis illius Homericæ consilio dissentientes, qui urgente necessitate, Νῦν δ' εἴη (ait) ὅς γὰρ δέ γ' ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι, ἢ νεὸς ἢ παλαιός, ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένω εἴη.

Cùm igitur omnibus reipub. officijs aliquot præfecti sint, qui singulariter illarū rerum curā gerunt, quarū administratio illis est demandata, ne quid perperā aut ἀτάκτως fiat, spero cordatos magistratus hīc quoq; facillè consensuros, ut hanc nouitatē in suā recipiant rempub. Quæ etsi insuetis durior fortè videbitur: vsu tamē mollescet, & fructu suo se ipsam reddet paulatim commēdabiliorē. Quod si quædam ex alijs autoribus transtulisse me clamabunt momi, exempla habeo, quibus exemplis mihi licere, quod illi fecerunt, puto. Quàm multa, penè omnia in suas comedias ex Menandro trāstulit Terentius? Et in poēsin suā ex Homero Virgilius? Ciceronē etsi summo ingenio & eloquentia, imò eloquentiæ parentē non puduit tam multa passim ex græcis autoribus in sua scripta traducere, ut quorundā interpretes potius quàm auctores esse videatur. In Iurisprudētia, in Medicīna, in Theologia nihil ferè, aut parū admodū habēt recentiores, quod à veteribus non hauserint: ex quorū etiā libris non verentur verbotenus quàm plurima exscribere, & in subsidiū suæ causæ, etsi sæpe non sine falsi suspitione, scriptis suis intarcire. Atq; hæc in eadē aliquando ab alijs tractata materia facit illi

illi quidē: quantō maiori igitur iure ego, qui rem forte non vsquequaque nouam, tamen à nullo, quod sciam, articulatē & vniuersim descriptā tracto, si quę idonea visa sunt, ex bonorū autorū monumentis instituto meo adaptaui? Non est flagitiū, aliunde accipere, quo quis sine alterius iniuria vtiliter vti queat. Corniculæ Aesopicæ est, alienis plumis sibi non conuenientibus inconcinnē se ornare, & temerē gloriari: prudentis autē scriptoris, vndecunq; quæ apta vtiliāq; rei propositæ sunt, desumere, & negotio suo ritē accomodare. Magna enim laus est, veterū instituta diligenter scrutari: maior autē, inuenta fideliter seruare: siquidem illi viam laboris virtutibus suis aperuerunt, nobisq; iter intelligentiæ suæ sapientia reliquerunt.

Quod si etiā pleraq; quæ hīc requiro, factu videbuntur difficilia, quōd alijs opes, alijs opportunitas, alijs prudentia desit: tamē improbandū non est, rectissimā agendi normam proponi, ad quam quisq; quoad potest, res suas instituat. Exemplar enim & imago, secundum quæ aliquid fieri debet, omnibus numeris absoluta esse oportet, vt imitatio fiat cōmodissima. Cū enim nihil fermē imitando ita exprimi queat, vt archetypo suo per omnia reddatur simile, imō vt non multis parasangis ab eo relinquatur imperfectius, hæc erit summa laus imitatoris, vt quod imitandū sibi proposuit, proximo attingat gradu. Est aliquō prodire tenus, inquit poëta, si non
datur

datur vltra: Et de sapientibus Euangelicis vulgari versiculo dicitur: Ibant quò poterant, quò non poterant, ibi stabant. Scio facilius esse consilium dare, quàm imitari: sed nihilominus optimè semper est cōsulendū. Si enim agendi rationi aliquid desit, haud dubiè plus deerit actioni, quæ secundū rationē instituenda est. Nunquam talis orator fuit, qualē describunt Cicero & Quintil. Neq; talis medicus, qualē desiderat Galenus: neque talis Respub: qualē informat Plato: neq; talis Ecclesiastes, qualē depingit Erasmus: neq; deniq; talis Ecclesia, qualē requirit Christus. Hæc, inquam, etsi nullo tēpore tam sunt reperta perfecta, quam perfectè ab illis definiuntur, tamē formam eorū omniū absolutissimā ob oculos nobis constituendā putarunt, cuius intuitu cogitationes actionesq; nostræ vniuersæ regerentur. Quæ cū ita sint, quis me iure reprehendat, quòd quædam fortè exactiùs, quàm aliquæ respub. possint imitando perficere, requirā? Quare qui nihil aliud, quam facultatū inopiā sibi obstare causabūtur, accipient saltē in bonā partē, quod ex animo bono profectū est, bonū & salutare consiliū: Et quod reliquū est, Deum patrē & filiū eius Iesum Christū, verum omnis mali Auerruncum καὶ ἀποτροπαυόν, vt suū in nobis vitale donū quàm integerrimū conseruet, ac ad nominis sui gloriā, vitæ nostræ emendationē animarūq; salutē, nos à pestilenti hoc contagio præseruet liberetve, mecum ardentè implorabunt, atq; in hunc modum inuocabunt:

O DEVS aduersis spes & fiducia rebus,
 Certa salus, vita praesidiumq; mea.
 Adsis, & merita parcas, pater, immemor ira.
 Et populi lachrymas respice, quaeso, tui.
 Respice per Christum te supplice voce precamur,
 Nec rigido in fontes iure seuerus age.
 Vt quondam David pro crimine poenam admissa
 Sustinuisse grauem, pagina sacra refert.
 Cum decies septem triduo (miserabile visu)
 Millia grassanti disperiére lue.
 Sed fassus planctu commissam denuò culpam,
 Mox oculos veniam repperit ante tuos:
 Et scelus & sceleris patrati noxa remissa est,
 Ira caussa tua qua solet esse tibi.
 Nos etiam facinus vel par, vel grandius illo
 Urget, & aequali culpa luenda cruce.
 At te humili oramus Deus & pater optime voto,
 Ne, precor, in tanto plecte furore reos.
 Sed miserere Deus nostri, miserere precantum,
 Irrita nec ventis nos dare vota sine.
 Adsis, & merita parcas, pater, immemor ira,
 Et populi lachrymas respice, quaeso, tui.
 Respice, te quaeso per Christum, nomine cuius
 Omnia facta tibi vota placere solent.
 Cui tecum aequalis debetur tempus in omne,
 Quippe coaeterno, gloria honorq; Deo.

A M E N.

